


Carolus Schröderus Dietericus Klockerus

Trigae Thesium Politicarum De Republica In Genere, quas Adminiculante Rerumpublicarum Autoris gratia

Rostochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730550265>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1658

Carl Schröder

Stefan Klöcker



TRIGÆ
THESIUM POLITICARUM
DE
REPUBLICA IN GENERE,

quas
Adminiculante Rerumpublicarum
Auctoris gratiâ,

&
Consensu Amplissimæ Nobilissimæq; Facul-
tatis Philosophicæ in Illustri Academiâ
Rostochiensi

publico placidoq; $\Phi\iota\lambda\omega\sigma\phi\acute{\iota}\alpha\tau\omega\upsilon$ examini
subjiciunt

M. CAROLUS Schröder / Islebiensis,
PRÆSES,

&
DIETERICUS KLÖCKERUS,

Flensburgó - Hofsatus,

RESPONDENS,

ad d. 4. Augusti, horis antemeridianis

in

Auditorio Majori.

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.
ANNO M. DC. LIIX.

1658

VIRIS

Summè Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo

DN. JOHANNI REINBOTH,
S.S. Th. Doctori, Illustrissimo Duci Slesvicensi
à Concionibus Aulæ primariis & Consiliis Ecclesiasticis,
Superattendenti ejusdem Ducatus eminentissimo, Me-
cœnati, Evergetæ, ac Promotori suo debito obser-
vantia & gratitudinis studio perpetim
prosequendo;

Nobilissimo, Amplissimo, Spectatissimoq;

DN. JOHANNI WITTMAN,
Serenissimi Regis Daniæ &c. Illiusq; Exercitus
Auditori Generali, Avunculo suo honoris & obser-
vantia cultu usq; quaq; ampliter mactando;

Integerrimo & Spectatissimo

DN. HENRICO PUMPEN,
Mercatori Emporii Hamburgensis insigni, Fau-
tori ac Promotori studiorum suorum ætatem
suspiciendo,

Ut &


Spectata fidei & Integritatis Viro honoratiss.

DN. DIETERICO KLÖCKERO,
Regis Daniæ Angaritarum Præfecto Flensburgen-
si fidelissimo, Parenti suo quolibet honoris & observa-
tia magmento æviter excipiendo;

Hanc de Republicâ Disputatè
observantia debita, ac grati pro bene-
factis plur. animi quaecunque sym-
bolum

D. D. D.

Dietericus Klöckerus, junior.



Zuv Geſ.



Um vulgus hominum acriori nova cognoscendi, quam nota rependi studio teneatur, adeo, ut ad nova pleriq; concurrant omnes & applaudant omnes, ideo bene diu religio nobis erat, calamo manum admovere, non ignaris, nihil eorum nos cōscribere posse, qua novitatis amasios allecere valerent. Quia tamen Academici laboris qualecunq; specimen Amici subinde flagitabant, flagitationi non injusta nostram ulteriorem moram mora esse non permisimus, sed ad Theses aliquot, præsertim Politicas, quamprimum concinnandas animum adjecimus. Neglecto studio vulgi præpostero, puerorum instar referentis, quibus mustum recens & de lacu adhuc fervidum unice sapit, subactum Sapientum virorum judicium, vini amaritiam, qua vetustatis comes est, minime fastidientium, ambabus utris amplexi sumus. Quocirca qua de Reipublicæ voce, Definitione, & Divisione, cum à Philosopho, tum ab aliis Politicæ Scientiæ nec paucis nec infimi subsellii Vindicibus olim curatè prolixèq; satis pertractata sunt, ea breviter repetere, paucarumq; Thesium cancellis circumscripta publico placidoq; Euruditorum examini subicere non dubitavimus; Arduam sanè nec minus tamen jucundam utilemq; materiam, & dignam, quam quilibet exteris aliquando regiones invisurus summo sibi opere familiarrem reddat, ut variarum Rerumplicarum indolem indagare, & ita cum optato prudentia scenore peregrinari discat:

Jova juva nostrisq; piis allabere cæptis.

Ut labor in laudes cedat eatq; tuas!

Sit ergo

A 2

THESIS I.

THESIS I.

Quod Græcis est πολιτεία, id Latinis est Respublica.

EXPLICATIO.

§. 1. Thesin hanc nemò facilè, nisi Græcitatìs æquè prodere velie ruditatè, ac Latinitatis, negatùm iverit, ideoq; pluribus eandem corroborare nihil attinet. Operæ potius est, vocis utriusq; tam Græcæ quam Latinæ & ἔτυμον proponere & ὁμωνυμίαν evolvere, ut ὀνομαζομένη πρὶν absolutà ad πραγμαζομένην inoffenso pede progredi atq; à cognitione vocum in cognitionem rerum penetrare liceat.

§. 2. Græcæ vocis ἔτυμον si perquisis, πολιτεία dicitur δὲ τῆ πόλεως, à civitate. Ubi notandum, quod πόλις seu civitas, cujus notione non urbem muris cinctam, vicisq; & ædificiorum serie distinctam, sed civium inter se κοινωνίαν s. societatem exprimimus, à πολιτείᾳ differat, quia illa ad hanc se habet tanquam materia ad formam. Sicut enim eadem materia indifferens est ad varias formas recipiendas per quas determinetur: Ita & eadem civitas v.g. Romanorum, modo Regiam, modo Aristocraticam, modo hanc cum Populari mixtam; modo vicissim Regiam, modo hanc deniq; cum Aristocraticâ mixtam formam induit, edifferente Ἀριστοκρατοῦ Doctr. Pol. l. 1. c. 8. Quam differentiam confirmat Isocrates, qui in Oratione Areopagiticâ: πολιτεία, inquit, ψυχὴ πόλεως ὄντι; significans à bono & perito Politico civitatem Republicâ velut animari debere. Si ergò Respublica civitatis anima est, utiq; & forma erit, cum anima sit animati forma.

§. 3. Latinæ vocis ἔτυμον ex ejus in illas voces resolutione, ex quibus componitur, statim apparet. Respublica enim dicitur publica res; Res quidem ita, ut secundum Bursium, quem citat Besoldus Diss. de præcogn. Pol. c. 8. Imperium significet, auctoritate Virgilio, Imperium Trojanorum Res Asiæ & Græcorum Res Agamemnonias vocantis l. 3. Æneid. Publica verò notantibus Lexicographis qs. Populica h. e. ad populum pertinens, id quod innuit Augustinus, Vir sui nominis, & inter Patres Latinos ingentis eruditionis, qui lib. 2. de Civit. Dei c. 21. Respublica, inquit,

est res

est res populi; ubi tamen appellationis ratio non tam à Subjecto, potulo, quam à Fine Reipubl. communi scilicet utilitate defumi debet. Unde dispalescit, Republicam corruptam, bonum quippè publicum non spectantem, magis privatam esse, quam publicam, adeoq; titulum ipsi sine re competere.

§. 4. Eadem est utriusque vocis in Philosophia Peripateticâ *δημωνυμία*. Sicut enim *πολιτείας*, ita & Reipubl. vox sumitur vel *totaliter* pro civitate formam suam nempe Republicam habente, vel *partialiter* pro Republicâ tantum, seu formâ in civitatem materiam suam introducendâ; Idq; vicissim vel *generaliter*, pro quavis Republica, vel *specialiter* sive per Synecdochen generis pro specie pro Republicâ Populâri, quæ ab Aristotele *Τιμονερατία*, lib. 8. Eth. Nic. c. 12. ab hodiernis vero Politicis plerisq; Democratia nominatur. Hoc loco vocem *πολιτείας* & Reipublicæ accipimus *partialiter* & *generaliter* h. e. quatenus formam civitatis in genere denotar. Cæterum hic alia adhuc *δημωνυμία* tubesse videtur. *Non latere nos debet*, inquit Philosophus, *quod in rebus, quarum subjecta specie differunt, ita, ut eorum aliud sit primum, aliud secundum, aliud consequens, aut omninò nihil commune sit, quatenus sunt tales, aut vix aliquid. Respublicas autem videmus specie differre, & alias esse posteriores, alias priores, quæ enim aberraverunt ac prolapsæ sunt, necesse est, ut posteriores sint integris & incorruptis* lib. 3. Pol. c. 1. Hinc sponte sequitur, ut in Rebus publicis rectis & corruptis, quatenus priores & posteriores sunt, aut omnino nihil, aut vix aliquid commune esse. Hoc autem ubi contingit, ibi vix amplius *δημωνυμία* negari potest, ideoq; vel in rectis vel in corruptis Reipublicis poni debet: Sed non in rectis, uti patet. E. in corruptis. Superest igitur, ut corruptæ Reipublicæ tales dicantur, quatenus speciem habitumq; rectarum induunt.

THESIS II.

Respublica est ordo civitatis cum aliorum magistratuum, tum maximè potentis omnium, utilitatis gratiâ.

§. 1. *Ὄνομα βλογίαν excipit πραγμαβλογία*, quam exordimur à Definitione Reipublicæ. Hanc mutuo nobis dedit Philosophus & his verbis tradidit: *πολιτεία δὲ τῶν πόλεων τῶν ἄλλων δὲ χωρῶν ἢ μάλιστα κυρίας πάντων* lib. 3. Pol. c. 6. Quorum sensum exprimit Arniseus, cum dicit, Rempublicam esse ordinem totius civitatis, consistentem in regimine summæ potestatis per medios magistratûs: Doctr. Pol. l. 1. c. 7.

§. 2. Definitio hæc constat **Genere & Differentiâ**, cui finem addidimus, ut ipsa fieret perfectior. Nec enim repugnat Philosophus, qui ad perfectam Reipublicæ noticiam requiri innuit, ut sciamus, quis finis sit ejusque societatis. Verba ejus hæc sunt: *Πολιτεία δὲ τῶν πόλεων, ἢ περὶ τὰς ἀρχάς, τίνα πρόπον νέμεμηνται, καὶ τί τὸ κύριον τῆς πολιτείας, καὶ τί τὸ τέλος ἐκάστης κοινωνίας*, id est, Respublica est ordo in civitatibus, qui est circa magistratus, quomodo distributi sint, quid sit summa potestas Reipublicæ, & quis sit finis cujusque societatis l. 4. Pol. c. 1. Ex inductione verò finium, quos omnes societates sibi propositos habent, patet illas τὸ συμφέρον spectare.

§. 3. Genus Reipublicæ est *τάξις*. Quæ vox sive per ordinem sive per ordinationem interpretetur, nihil interesse putat Arniseus. l. c. cum & ordinis & ordinationis vocabulum legitimam constitutionem civitatis designet in ordine consistentem; Rectius tamen per ordinem quam per ordinationem verti, vel inde liquet, quod uti Respublica, ita & ordo permanens quidpiam est, ordinatio verò successivum quidpiam, motum videlicet, partes sui esse in fluxu habentem designat.

§. 4. Neque malè sed prorsus congruè Philosophus Reipublicæ Genus assignat **Ordinem**. Nec enim forma civitatis esse potest Respublica; nisi sub ratione ordinis seu quatenus ordo est. Nam civitas est multitudo hominum, in unam quidem societatem collecta, ea tamen, quæ non diu cohabitare inter se sine rixis, sine injuriis, imò sine collisione & interitu, sed post aliquod temporis intervallum facile

cilè rursus dispergi possit. Materiæ certè redolet indolem, propter
ἀνορεσίαν suam facile fluxilis. Opus itaq; formà, quæ *ἀνορεσίαν* illam
in certam cogat *συμμετέλιαν*. h. e. partium ad partes & earundem
ad uni versum corpus responsum. Talis autem est ordo civitatis in
paritione & imperio consistens: Quod si enim una familia durabilis
non est, ubi juxta Euripidem in Cyclope *ἀνδρα δ' ἐδ' ἐν δὲ θεῶν ἐδ' ἐν δὲ θεῶν*,
mera q; confusio & *ἀταξία* errorum & turbarum mater hospitatur.
quanto minus civitas durabilis erit, ordine sublato, quo præsentè,
sicut domestici & pagnai, ita cives quoq; solidè uniuntur.

§. 7. Ordo vero civitatis, qui in paritione & imperio situs est,
consentum præsupponit. Nisi enim animorum unio ponatur, ut
alius alii res eas præster, quibus opus est, ut & commode & beate vi-
vatur, civitas nec consistere diu, nec beata esse poterit. Poro tu-
endo ordini leges sunt ecessariæ, firmissimæ civitatis continendæ, ne
dilabatur, ligamina, siquidem faciendâ jubent, fugiendâ prohibent,
rectè facientibus præmia, delinquentibus pœnas statuentes, Qua de
re prolixius differentem Piccartum vide fidelem Aristotelis Interpre-
tem Disp. Altorf. trig. th. 3. & seqq. usq; ad 21.

§. 6. Differentiam absolvit Reipublicæ partim materia
in quâ seu subjectum, partim terminus à quo seu pars po-
tior, partim principium, partim denique finis. pro uberiore
declaratione notandum I. Quando Respublica per ordinem defini-
tur, tunc non cujuslibet multitudinis v. g. Exercitûs, ordinem intel-
ligi; Proinde primâ differentiæ particulam absolvit Reipubli-
cæ materia in quâ seu subjectum, nempe Civitas, ut ad hanc ordo
restringatur, & indicetur, in civitate illum ordinem esse debere, qui
Respublica dicitur. Civitas enim quatenus materia est, sine ordine
concipi debet, ut ab imperio fiat abstractio, in quo ordinis ratio po-
tissimum elucet, & ne, dum cum ordine concipitur, sui ipsius mate-
ria seu subjectum absurde statuatur, siquidem civitas ordinata nihil
aliud est, quam ipsa Respublica. Definitur autem Respublica ordo
Civitaris in singulari numero, ut indigitetur, uni formæ unam re-
spondere materiam, in quam illa sit introducenda. Ergo si una est
Respublica, una quoq; erit civitas. Non autem existimandum, civi-
tatem

tatem hic intelligi, communiter ita dici solitam, quatenus muro circumcingitur. Nam accidit, unam eandem que Rempublicam, vel nullam talem habere, qualis fuit Lacedæmoniorum, quorum Sparta quondam sine muro fuit, testante Livio Dec. 4. l. 4. vel innumeras fere tales habere, qualis est Imperium Romanum, in quo præter eas, quas liberas vocant, & sexaginta sex Excellentissimus DN. D. Keisling numerat l. i. Cl. 4. de Reg. sec. Imp. Rom. c. 21. longe plures alias non liberas dari, vel lippis & tonsoribus constat. Et tamen nec Respublica Lacedæmoniorum sine civitate fingi, nec Imperium Romanum sine majestatis absônâ multiplicatione multiplicari potest, quod posterius tamen toties fieri necessum foret quoties alii civitati civitas alia succedit.

Civitas itaque nobis nihil aliud est, quam *ἡ ἀπὸ πλείονων κωμῶν κοινωμία τέλει*, ἡ δὴ πείσης ἔχουσα πείρας τῆς αὐτοκρατίας, γνωρίζη μὲν ἐν τῇ ζῆν ἐνεκεν, ἔσσι τῇ δὲ ζῆν, id est, ex pluribus pagis societas perfecta, penè omnium habens complementum sufficientiæ, siens quidem vivendi causa, facta v. bene vivendi causa, definiente Philosopho l. 1. Pol. c. 2. Cujusmodi societatem mœnibus claudi, & in uno adeo loco cohabitare (sicut vulgus autumat, quod locum cum hominibus conjungi oportere statuit) nulla necessitas exigit, ita penitus, ut separatim quoque & diversis in locis habitantes unam civitatem constituere queant. *Ἐνδέχεται γὰρ διαζευχθῆναι τὸν τόπον καὶ οὐτὸν αὐθράπας, καὶ οὐτὸν μὲν ἔπειρον, οὐτὸν δὲ ἔπειρον οἰκῆσαι τὸν τόπον*, id est, Contingit enim disjungi locum & homines, & alios quidem alium, alios verò vicissim alium inhabitare locum, docente Philosopho lib. 3. Polit. c. 3.

§ 7 Notandum II. Quando Respublica per ordinem civitatis definitur, ut in omni, sic in hoc ordine dari prius & posterius. Illius instar Imperantes, hujus Parentes referunt, respectu scilicet Imperii & Partitionis, in quibus ordo civitatis consistit. Cumq; Respublica possit dupliciter pro ratione præsentis instituti considerari: vel ut *Relatio* inter terminos versans, vel ut *totum ex partibus* constans, ideo nihil refert, sive Reipublicæ terminos dicas Imperantes & Parentes sive partes; Termini enim sunt, quatenus ad se mutuo relati Relationem faciunt Rempublicam, partes vero quatenus Rempublicam complent. Quia itaq; Imperantes sunt *terminus à quò* Reipublicæ,

blicæ, & Parentes *terminus ad quem*, cum ab Imperantibus ad Parentes tendat & dirigatur Respublica, hac que ratione non ab inferioribus ad superiores adscendit, sed à superioribus ad inferiores descendit hic ordo, qui dignitatis est; Quia etiam Imperantes sunt præcipua pars, parentibus quippe meliores, siquidem melioris est imperare, vel ipsâ naturâ docente, quæ *anima in corpus, rationi in appetitum, mari in foeminam, homini in belluas imperium tradidit*. Confer Philosophum lib. 1. Polit. c. 5. Idcirco, ne civitatis ordo à parentibus tanquam ignobiliori parte & Imperantium influxum seu motum recipientem denominetur, **secundam** differentiam particulam absolvit Respublicæ terminus à quo seu pars potior videlicet Imperantes, qui Græcis ἀρχαὶ καὶ δούλοι ἄρχεσθαι, Latinis Magistratus à magistrando s. imperando dicuntur (non abstractivè sumpto vocabulo, prout ἐξουσία & potestates ipsas notat, sed concretivè, prout personas significat ἐξουσία publica armatas) qui licet consultationibus vacare judiciisque præesse debeant, ad imperium tamen in subditos præcipuè sunt destinati, quia sunt *ἄριστοι* & *πολιτικῆς κοινωνίας, ἑσσις δόδοδο*) βελεύουσαι τε *περὶ τῶν ἡγεῖναι ἢ ἀπειθεῖν ἢ μάλιστα τῶτο*. h. e. præfetti civilis societatis, quibus data est de quibusdam consultandi, iudicandi, & maxime imperandi potestas, secundum Philosophum l. 4. Pol. c. 15.

§. 8. Notandum III. Sicut ordo quilibet est propter unum, quia *ad unum coordinata sunt omnia*, sicut tradit Philosophus lib. 12. Metaph. c. 10. ita quoque civitatis ordinem rerum earum esse, quæ se habent ἐφεξῆς, & in quibus unum primum invenitur, à quo cætera dependent omnia. Dantur enim in hoc ordine parentes & à quibus ipsi dependent, imperantes, horum que turfus alii aliis superiores existunt pro majori vel minori potestatis, quam exequent, eminentiâ. Ideo, ne progressus in infinitum fiat, à quo natura & ars abhorrent, subsistendum erit in uno aliquo primo, qui summus omnium superiorem agnoscat neminem, quem nos Respublicæ principium & caput appellamus, cui Respublica primo debet, quod est Respublica; Talis autem unus dicitur vel καὶ αὐτὸ per se & naturâ sua, ut in Monarchiâ, vel Analo-

gñ quadam & συνδρομῇ seu concursu in unum, ut in Aristocratia
 & Politia, ubi plures unius vicem subeunt, & in unum collati fiunt
 quasi unus homo πολὺ πᾶς καὶ πολὺ χεῖρ ἢ πολλὰς ἔχων αἰσθήσεις
 h. e. multos pedes, uultusq; manus multosq; sensus habens, uti loquitur
 Philosophus lib. 3. Polit. c. 11; Hujus Principii seu capitis Rei-
 publicæ seu tertiæ Differentiæ particulæ Philosophus in traditâ De-
 finitione meminit, quando ordinem in civitate, cum aliorum ma-
 gistratum esse dicit, tum maximè κυρείας πάντων potentis omnium,
 qui omnium in civitate potestatem habeat h. e. Majestatem, quia
 τὸ πολίτευμα ἐπὶ λαῶς πάντων ἔχει κύριον, h. e. Majestas est summa
 in civitate ubiq; potestas, definiente Philosopho lib. 3. Pol. c. 6. Et
 in hoc, ut ordo civitatis referatur ad Majestatem, potissima Rei-
 publicæ ratio consistit, quod & è voce μάλις colligitur, adeo,
 ut nomine Reipublicæ propriè insigniri nec civitates possint, quas
 vocant liberas, h. e. Inferiorum Principum & Comitum imperio
 ac exactionibus haud obnoxias, nec ipsa subalterna Imperia, cum
 utrobique Majestas absit, Reipublicæ caput, à quo motus omnis in
 reliquum corpus derivatur.

§ 9. Notandum IV Quandoquidem à Fine Reipublicæ
 non solum appellationis ratio sed & ejus notitia perfectior accer-
 titur, ut ex supra dictis liquet, ideo non absre quartam illum
 differentiæ particulam absolvere. Quem τὸ συμφέρον utilita-
 tem s. commodum esse, vel ipsa Reipublicæ in rectam & corru-
 ptam hinc petita divisio luculenter edocer. Est a. utilitas alia com-
 munitis, alia privata quarum illa magis est utilitas, quam hæc; unde
 & Finis hic κατὰ πρότερον & ἐξ ὅχως rectis, καὶ ὑπερνονεὶ &
 ὁμωνύμως corruptis tribuitur Rebus publicis. Porro, quia quæ-
 cunq; finem habent, causam etiam habent Efficientem, Respubli-
 ca quoq; causam Efficientem habebit. Nec n. Epicuri somnium cū-
 ramus, homines temere fortuitoq; casu coaluisse censentis, refe-
 rente Cicerone l. 1. & 2. de Naturâ Deor. Nobis itaq; missis illo-
 rum opinionibus, qui vel neglectis causis principalibus secundarias
 adsignant vel causam per se & per accidens commiscant, causæ Rei-
 publicæ

publicæ efficientes sunt **Deus, Natura & mutuis hominum**
in civilem societatem coëuntium **Consensus**. Ille est causa
prima & universalis, à quo, ut omnis ordo, ita & omnis ἐξουσία
ὀπρεχσων promanat. Officii sui graviter monens subditos
Gentium Doctor & Apostolus Paulus inquit: πᾶσα ψυχὴ ἐξου-
σιῶς ὀπρεχσων ὑποτασσέτω. h. e. omnis anima potestatibus
supereminentibus subiecta esto. Rationem mox addit; ἡ γὰρ ἐστὶν
ἐξουσία, εἰ μὴ ὑπὸ θεῶν· αἱ δὲ ἔσονται ἐξουσίαι ὑπὸ θεῶν καταγινώσκουσιν.
h. e. non enim est potestas, si non à Deo: Ex verò, quæ existunt, pote-
states à Deo ordinate sunt 3. om. 13. v. 1. Ista est causa secunda &
particularis, sed remotior, cujus instinctu non solum exoritur, sed
& in ordinem redigitur civilis societas, unde rectè Philosophus:
ἄρχον δὲ, inquit, φύσις καὶ ἀρχόμηνον διὰ τὴν σωτηρίαν, h. e.
Imperans verò est natura, ut & id, cui imperatur, propter salutem, l. 1.
Pol. c. 2. Hic autem est causa secunda propinquior, per quem ita
conveniunt cives, ut unum idemq; vel approbent vel improbent.
Jam si à civibus ἀναρχία unanimiter improbetur, unius contra
vel uno plurium vel omnium imperium huicq; respondens obse-
quium approbetur, Rempublicam sanciri, quis non perspicit? His itaq;
causis in actu positis nec impeditis, effectum nempe Rem-
publicam poni, non est ambiguum. Unde non planè nullam Rem-
publicam cum tempore Patriarcharum antediluviano viguisse B.
Lutherus noster haud obscurè ostendit, Adamum gladium gessisse
pronuncians, quem Cainus metuerit, Comment. in Gen. c. 9.
rum etiam in statu primævo s. innocentie (sine δειωσίᾳ tamen
ullâ, coactione ullâ, & ullâ imperandi libidine) futuram fuisse
B. Gerhardus docet Tom. 6. de Mag. Polit. §. 26.

THESIS III.

Respublica I. alia est Monacrhia,
alia Oligarchia, alia Polyarchia II. alia

B 2 est

est Simplex, alia Mixta. III. alia est
Recta, alia Corrupta.

EXPLICATIO.

§. 1. A Definitione jam descendimus ad Divisionem Reipublicæ, *περαυματολογίῳ* adeoq; generalem, quam suscepimus, hujus materiæ tractationem in illâ terminaturi. *Triplex* occurrit divisio, propterea circa *primam* notamus, rationem ejus peti à *Majestatis* Subjecto, quod principium Reipublicæ, & primum id esse diximus, cui reliqua subordinentur omnia. Hoc *tripliciter* variat secundum *numerum*, quandoquidem *necessum est esse summam potestatem aut penes unum, aut penes paucos, aut penes omnes*, ut ait Philosophus l. 3. Pol. c. 7. Idcirco quoq; *triplex* est Respublica: *Monarchia*, in quâ unus; *Oligarchia*, in qua pauci; & *Polyarchia*, in qua multi imperio summæ funguntur. Ubi ad *ὁμνομίαν* declinandam observetur, *paucos, generaliter* sumpto vocabulo, opponi *omnibus*, talesq; dici respectu parentium, quorum numerum non nisi rarò & *per accidens* excedunt; *Multos* verò dici & esse *omnes*, siquidem omnes imperant, licet singuli parent. Non diffitemur autem, cum quaeritur: Ubi conveniat esse *Monarchiam* vel *Oligarchiam* vel *Polyarchiam*? numeri rationem aliquam dari posse. Nam ubi aliquis *ὑπερβολὴν* habet, ita, ut virtus ejus aliorum omnium virtute major sit, ibi, cum unus tantum sit talis, justum est, unum *κύριον εἶναι, μὴ κατὰ μέρος ἀλλ' ἀπλῶς*, h. e. *summam potestatem habere non ex parte sed simpliciter*, ut habet Philosophus lib. 3. Pol. c. 17. ubi plures uno, non tamen omnes, virtute pares existunt, ibi paucos *κυρίως εἶναι*, adeoq; Aristocratiam vigere præstat; uti rursus habet Philosophus l. 3. Pol. c. 15. Ubi denique omnes virtute pares existunt, videlicet bellicâ, quia *difficile est, ut in omni virtute sit exercitata multitudo*, uti docet Philosophus lib. 3. Pol. c. 7. ibi convenit, omnes *κυρίως εἶναι*. *Congruis Politicæ*, quæ sunt verba Philosophi, ejusmodi multitudo, in quâ
popu-

populus nascitur bellicus, qui gubernari possit & gubernare secundum legem, ex dignitate magistratus opulentis distribuentem. l. 3. Pol c. 17.

§. 2. Circa secundam divisionem notamus, eam in *Majestatis* indivisione, atq; *divisione* proxime fundari. Oritur n. *Simplex* Respublica, quando majestas penes imperantes est *indivisim*; quando vero *divisim* est, oritur *Mixta*. *Indivisim* tunc penes Imperantes Majestas est, cum illorum alter altero inconsulto nullas exercet Majestatis particulas: Contra tunc *divisim* est, cum alter altero inconsulto, quasdam sibi commissas Majestatis particulas exercet. Ut autem Rerumpublicarum mixtio quodammodo melius percipiatur, Elementorum mixtionem, cuius instar illa habet, ob oculos ponamus. *Tria* ad hanc requiruntur 1. *Elementorum conjunctio* 2. *mutua ipsorum reactio* 3. *Eorundem in partes divisio*. Nam per *primum* contactus, per *secundum* qualitarum temperies, per *tertium* forma mixtiponitur. Vid. Gilbert. Jacch. Inst. Phys. l. 6. c. 12. Pari modo ad Rerumpublicarum mixtionem *tria* sunt necessaria requisita; 1. *Rerumpublicarum simplicium conjunctio*. Hanc olim Romæ Senatus & Plebis frequentissimæ collisiones evidenter arguerunt, quando pars utraq; de Majestate disceptavit, & quælibet eam sibi totam tribuere tentavit, ut reverè Aristocratiâ, quam Senatus tutabatur, & Politia, quam Plebs ambiebat, se contingere fermeq; conterere viderentur. 2. *Reumplicarum simplicium mutua reactio*. Quæ olim item Romæ existit, quando Senatus, quam quam plurima pateretur, diu tamen adversus turbulenter agentem & tumultuantem plebem foriter renitus est, ut ita Aristocratiâ Politiam, dum ab hac temperabatur, temperare vicissim videretur. 3. *Rerumpublicarum simplicium in partes divisio*. Cujusmodi divisio similiter est Romæ facta, quando Senatus Majestatem ex parte sibi servavit, ex parte plebi reliquit, ut ita Aristocratiâ Senatui & Politia plebi *divisim* vindicatis, & post factam utrobique de summâ juris remissionem quasi communitis, nova & peculiaris Reipublicæ forma, quam mixtam appellamus, omnino resultaverit. Consulantur hujus rei testes, passim copiosi, Livius & Hælicarnassæus Rerum Romanarum Scriptores nobilissimi. Majestatem ergo olim *divisam* esse constat, id

quod calculo suo approbat Philosophus, quando *summam potestatem apud Molossos & Lacedaemonios ab initio statim in duas partes divisam fuisse, & propter hoc ipsum Regna Molossorum & Lacedaemoniorum longo tempore duravisse* narrat, lib. 5. Pol. c. 11. Jam quod actu divisum est, quin divisibile sit, vix amplius dubitare licet. Majestas autem indivisibilis dicitur, quatenus ipsa *tota & secundum omnes particulas pluribus divisim competere nequit*, ita scilicet, ut altera pars alteram inconsultam omnibus Majestatis particulis defungatur: Hoc enim pacto altera alteram ferre non posset, sed potius supprimeret & perimeret, quo collineat illud Homeri *tralatitium*;

ὄχι ἀρχὴν πολυκοιρανίῃ, εἰς κοίραν ἕστω.

§. 3. Circa *tertiam* divisionem notamus, eam à *fine* Republicae defumi. Nam omnis Respublica, ceu finem, utilitatem sibi propitam habet, quippe propter quam ipsa civitas ab initio condita fuit. Oportet igitur, ut qui summam rerum potiuntur, eandem spectent. Hoc autem cum *duplici* ratione facere possint, prout vel *Dominorum* vel *Patrum* imitantur imperium, quorum hi *per se* liberorum, *per accidens* suam, illi contra *per se* suam, *per accidens* servorum utilitatem intendunt, *duplex* iterum prodibit Respublica: *Recta* seu ἀναμάρτητος, quae *publicam*; & *Corrupta* seu ἡμαρτημένη, quae *privatam* utilitatem intendit: *illa* subditos ut *liberos*, *haec* ut *servos* tractat, unde quaelibet corrupta herilis est adeoque civitati, liberorum quippe hominum societati, prorsus adversatur, quemadmodum haec concinne proponit Aristoteles lib. 3. Pol. c. 6. Alias idem Corruptas Respublicas vocat Φθορὰς καὶ παραβιάσεις τῶν ἠρεσῶν πολιτειῶν, *Corruptiones & transgressiones re-clarum Rerumpublicarum*. lib. 8. Eth. cap. 12. 3. Pol. cap. 6. & 7. Item: lib. 4. Pol. cap. 2. Quibus appellationibus plerisque respicit ad ἡμαρτήματα τῆς φύσεως seu monstra, quo Respublicas corruptas his geminas esse significet, quod sicut haec, ita & illa, κατὰ φύσιν oboriantur. Κατὰ ἰσοδικίαν Respublica Recta triplex est: Regnum, Aristocratia & Politia *specialim* sic dicta. Nam si summa potestas cum communis utilitatis intentione conjuncta residet penes *unum*, Regni; si penes *paucos*, uno tamen

tamen plures *indivisim*, Aristocratia; Si denique penes *multitudinem indivisim*, Politia seu ut hodiernis Politicis placet, Democratia nomine salutatur. *Indivisim*, dicimus: Si enim penes uno plures *divisim* summa potestas, cum intentione communis utilitatis, Respublica itidem *recta* erit, sed *mixta*. Totidem quoque sunt Reipublicae corruptae species, abusive sic dictae: Tyrannis, quae Regni; Oligarchia *speciatim* dicta, quae Aristocratiae; & Democratia seu ut hodiernis Politicis vocatur, Ochlocratia, quae Politiae *mixta* est. Nam si summa potestas privatae utilitatis intentione conjuncta penes *unum* est, Tyrannidis; si penes *paucos*, uno tamen plures *indivisim*; Oligarchiae; si denique penes *multitudinem indivisim*, Democratiae nomine venit. *Indivisim* iterum dicimus: Si n. penes uno plures *divisim* summa potestas est cum intentione privatae utilitatis, Respublica itidem *corrupta* erit sed *mixta*. Confer Philosophum lib. 3. Polit. cap. 7.

§. 4. Ceterum quando *corrupta* Respublica a Philosopho heriles vocantur, non fit istud *omni ex parte* tam parentium quam imperantium, siquidem parentes liberi sunt; Sed tantum *ex parte imperantium*, qui herilem potestatem in liberos homines exercent. Alias datur Dominatus, quem quia apud Barbaros seu servili animo praeditos in usu erat; Philosophus Regnum Barbaricum appellat, Tyrannidi non *absimilis*, secundum leges tamen & consuetudinem patriam a parentibus ad liberos derivatus ideoque paternus l. 3. Pol. c. 14. Denique sicut Tyrannis, strictè proprieque sic dicta, Regno extreme opponitur, ut cum hoc subditorum commodum *per se, directe & primariè* intendar, illa subditorum commodum planè negligat lib. 3. Pol. c. 7. Dominatus autem modo de Regno, quatenus subditorum curam gerit, modo de Tyrannide, quatenus suum commodum per se quaerit, aliquid participat, & sic inter Regnum & Tyrannidem *mediam* naturam induit, ut simul paternum, simul herile Imperium: ita & reliquas corruptas Respublicas Rebus publicis rectis extreme opponi, & inter has & illas *mediae naturae*

turæ Republicas dari, dominatui similes, non est ambigendum.
Qua super re consulantur Autores: Imprimis Arniseus Doctrinæ
næ Politicæ libro 1, cap. 9. & Cellarius politicæ succinctæ
lib. 2, cap. 4. §. 30. Nobis hic sunt
TERMINALIA.

SOLI DEO SIT GLORIA.



ΚΥΡΙΟΣ ΔΙΕΔΕΡΙΚΟΣ ΚΛΟΙ-

ΚΗΡΟΣ, ΑΙΕΝΦΙΑΙΣΤΟΣ.

ἀναγραμματίζ.

ΙΦΙΔΗΛΟΣ ΟΡΣΕΟ, ΚΡΑΤΗΡΟΝ ΙΔΙΣΙΣ

ΣΚΥΛΑΚΕ· ΚΙΟΙ.

Ἐξήγησις

ΚΛΟΙΚΗΡΕ, κερὶ πὰ σμάτεσι βοώμην πολλοῖς,
Κυδαλίμων εἰδὼς θνητῶν θελήθηρα μείζω,
ΟΡΣΕΟ νῦν ΔΗΛΟΣ, σαυτὸν, κλέθ' ἐσθλὸν ἔχουσιν,
ΙΦΙ ὠρρήσασαι Πύραν περικλυτὸν αἶδα.
ΙΔΙΣΙΣ αἰνοπάτη, πρῆς προσέειπε πειθεῖσαι,
Ἀκαμάτως ΣΕΣΚΥΛΑΚΕΝ, ἀτὰρ μέγα κῦθ' ὀρέξει.
Σπῦδε, καλῶς σπῦδων, ΚΡΑΤΕΡΟΝ, ζαθέης τι θέμις θ',
Καί γάλα σαφροσύνης, Μισέων, νημερτῆς ἀμέλγειν,
Ὅτως, Ἄθλα ΚΙΟΙ, τάδε σαῖς φρεσὶ λῶσαι μενοινίας.

*Κύμωσ ἠαυτὸν Pereximio, Politissimo ac Litera-
tissimo Dn. Klöckero, meo exprimeris
sincerissimo raptim scrib.*

CHRISTIANUS HOFFMANNUS,

Halà - Saxo.



tamen plures *indivisim*, Aristocratiam
indivisim, Politiam seu u
 Democratiam nomine salutatur.
 penes uno plures *divisim* summa potestatis
 nis utilitatis, Respublica itidem *Rebella*
 quoque sunt Reipublicae corruptae sicut
 Tyrannus, quae Regni; Oligarchiae
 & Democratia seu ut hoc
 Ochlocratia, quae *Politia* *καταβασ*
 testas privatae utilitatis intentione
 Tyrannidis; si penes paucos, u
 Oligarchiae; si denique penes multi
 cratiae nomine venit. *Indivisim* iterum
 plures *divisim* summa potestas est cum
 Respublica itidem *corrupta* erit sed *mixta*
 lib. 3. Polit. cap. 7.

§. 4. Caterum quando *corruptae*
 heriles vocantur, non fit istud *omni* es
 imperantium, siquidem parentes liberi
 imperantium, qui herilem potestatem i
 Alias datur Dominatus, quem quia
 nimo praeditos in usu erat; Philosopho
 pellat; Tyrannidi non *absimilis*, *secundu*
nem patriam a parentibus ad liberos deriv
 c. 14. Denique sicut Tyrannus, stricte p
 tremae opponitur, ut cum hoc subditorum
 & primario intendat, illa subditorum
 gat lib. 3. Pol. c. 7. Dominatus autem
 subditorum curam gerit, modo de
 commodum per se quaerit, aliquid pat
 & Tyrannidem *mediam* naturam indu
 simul herile Imperium: ita & reliqui
 bus publicis rectis extreme opponi, &

ne penes multi
 liticis placet;
 nus: Si enim
 ione commu
 z. Totidem
 ve sic dictae:
 ieta, quae Ari
 is vocatur;
 si summa po
 es unum est,
 res *indivisim*;
 im, Demo
 in. penes uno
 ratae utilitatis,
 Philosophum

a Philosopho
 entium quam
 ntum *ex parte*
 nes exercent.
 s seu servili a
 rbaricum ap
 & consuetudi
 ernus l. 3. Pol
 eta, Regno ex
 i per se, directe
 plane negli
 no, quatenus
 atenus suum
 nter Regnum
 paternum,
 i publicas Re
 las *mediae* na
 turae

